Nos Gaspardus Bemley Gubernator Montheoli etc. dilectis officiariis nostris super hoc
requirendis seu ipsorum locatenentibus salutem. Cum nobis parte nobilis Guilli de Castillione domicelli
burgensis Montheoli expositum fuit verum qualiter ad instantiam egregii Jacobi de Nanteriis notarii procuratorio
nomine providi Johannis de Nanteriis notarii sui patris inhibitum fuerit castellanis eiusdem nobilis exponentis
ne sibi persolvere deberent census debitos sub penis expressis. Et quia idem nobilis tanquam premissis
oppressus recurrerit ad excellentiam reverendissimi ac magnifici domini Anthonii Mayenchet
ballivi inclite patrie Vallesii exhibendo ac presentando testimoniales oblationis per ipsum
facte debite sigillo sue fidelitatis et manu fideli notarii subsignatas requirendo tale
mandatum inhibitoriale a prefato domino ballivo obtentum revocari. Tandem idem nobilis exponens
revocationem eiusdem primi mandati inhibitorialis ad instantiam dicti egregii de Nanteriis obtenti
et aliam provisionem obtinuerit prout de premissis amplius constat mandato dominicali
a prefato domino ballivo sub anno domini millesimo quingentesimo octuagesimo nono et die
decima octava mensis decembris obtento debite sigillo prefati domini ballivi sigillato et
manu grati viri Nycolai Castineti notarii subsignato. Cuius quidem novissimi
mandati supra designati executionem idem nobilis de Castillione proponens
humillime requisivit de predicto remedio et mandato opportuno sibi providere.
Et quia iusta petentibus benignus est annuendum. Quocirca vobis officiariis
nostris predictis primo requisitis harum serie precipiendo committimus et
mandamus quatenus iniungatis et precipiatis quibus et nos harum serie
iniungimus precipimus et mandamus omnibus et singulis personis debentibus
census redditus servitia homagia tributa laudes et vendas ac alia
quecumque emolumenta eius fidelitate ac de directo dominio cum omni oppositione
et dilatione cessantibus dicti nobilis de Castillione supplicantis persolvat
et expediant absque figura iudicii dictam spontaneam submissionem
ipsius nobilis exponentis facta de solvendo dicto egregio de Nanteriis per ipsum
legitime debita facto primitus cum eo legitimo computo. In quibus non sit
defectus iustitiam mandatis nostris obedire cupientes iuramenti
erit satisfactione desideratis. Datum Montheoli die tredecima
mensis ianuarii anno domini millesimo quingentesimo nonagesimo

Gaspardus Bemley
Gubernator propria

Anno Incarnationis et die dicto quattuordecima mensis Januarii mandatum vestro suprascriptum
fuit per discretum Claudium Roberti instralem Taraconi cum honore et reverentia debita
receptum. Inde fuit in porta magne ... loci loco et more talha fieri solito
proclamatum et ... per ... terras ... de
una alta et intelligibili voce proclamatum
... in ... obmittendo prout ... instralis ... rebelis ...

Ex relatione predicta

P. Fons ... notarius

Misc Mss (Large)